



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xxvi. De testamentis & vltimis voluntatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

quæ superemerit ad ipsius ecclesiæ nomē scrib-
turam facito. alioquin ab eius ordinatione di-
scedito.

Quicquid sit, si cūm ad ecclesiasticum ordi- *1. Inuesti-*
nem promotus erit nihil habesit: quæ prædia *gandum.*
post emerit iuris ecclesiæ ad quam promotus e-
rit sunt.

Si quis sanè clericorum sibi agellos vineo- *5. Si quis.*
lāsve in terra ecclesiæ suæ faxit: sustentādæ vitæ
suæ causā vsque ad diē obitus sui possideto. post
decessum ecclesiæ restituito. nulli hæredū pro-
hæredūmve, nisi forte cui episcop⁹ pro seruitiis
ac præstationibus ecclesiæ hæc largiri voluerit,
testamentario successorióve iure relinquito.

*De testamentis & ultimis volun-
tatibus. Tit. 26.*

QUAE quisque moriens etiam nudis verbis *4. Indi-*
dari, fieri, iusserit, reliquerit, in his *cante.*
voluntas eius per omnia impletor.

Quòd si hæredes testatoris iussā non imple- *6. Si hæ-*
rint: ab episcopo loci res omnis quæ ollis relicta *redes.*
fiet cum fructibus & cæteris emolumentis ca-
nonicè interdicitor. Sic defuncti vota adim-
plentor.

Itaque supremæ volūtatis testatoris elogia ab *3. Nos*
hærede si protrahentur: episcopus loci, vt quod *quidem.*
ille iussus est intra annum ordinet, & cuncta se-
cundūm defuncti voluntatem sine altercatione
compleat, hæredem admoneto. Si intra id tem-
pus cum episcopo cōplere neglexerit: per ipsum

episcopum impletor. sic dilata defūctorum pie voluntates episcopali studio adimplentor.

5. *Filius.* Hæc vera funto præterquam si testator ecclesiæ sepulturæ suæ gratia rem alienam alteri ecclesiæ legassit. hæres enim ad eam soluendam, quanquam leges seculi hoc præcipiant, ne cogitor. has res ecclesiæ ne teneto.

19. *Ioannes.* Nedum verò hæredes, sed & qui exequutores vltimæ voluntatis defuncti erunt post mandatum susceptum eam implere per dicecesanum coguntor.

17. *Tus.* Omnibus enim piis defunctorum voluntatibus per episcopos locorum vt secundum eorum voluntatem omnia procedat, licet ab eisdem id interdictum erit, prouidetur. Ab eis exequutores testamentorum, siue religiosi, clericique seculares, siue laici erunt, bona ipsa fideliter & plenariè in huiusmodi vsus expendere monitione præmissa compelluntor.

13. *Cum tibi.* Testatus autem nedum qui testamentum condiderit, sed & qui extremam voluntatem suam in alterius dispositionem commiserit, intelligitor.

10. *Cum effes.* Cæterum quod ad condendi testamenti formam pertinet hoc obseruatur. Quæ testimonia parochiani coram presbytero suo & tribus quibusve aliis personis idoneis in extrema voluntate faxint, firma maneto. nemo hæc sub anathematis interminatione rescindito. & sicubi consuetudo legibus humanis concordans quinque septemve testium subscriptionem requirit: iurata esto.

Atque cùm super relictis ecclesiæ causa ad iudicis examen deducetur, hæc secundùm decretorum statuta tractator. treis tantùm duove legitimi testes requiruntor. ^{11. Relatum. i.}

In quibusquidem ecclesiæ relictis hoc teneto. Quæ pro ornamentis, cereis, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigenesimo, trigensimove die, seu aliis ad perpetuum cultum diuinum ecclesiis reliquisve piis locis legata erunt, dum ne in fraudẽ episcopi parochialisve ecclesiæ factum fiet, canonica portio ne deducitor. ^{20. De his.}

Alioquin si quæ monasteriis ecclesiisve relictæ erunt, & propria portio episcopo relictæ fiet, cum conditione vt ea contentus maneat, isque id acceptasit: de cæteris quidem portionem ne exigit, & per hoc aliis renunciaffe intellegitor. Sin absolutè relictæ erit: portionem sibi debitam nihilominus de cæteris vendicato. Si verò in fraudem mortuarium modicum constitutum constabit: portionem canonicam ex cæteris episcopus rectè exigit. Romanorum pont. indulgentiæ quibusdam regularibus concessæ saluæ sunt. ^{14. Officij.}

In summa: de iis quæ pro anima sua in vltima voluntate quisque rei suæ legasit secundùm diuersas cõsuetudines episcopus tertiam quartamve habeto. Si episcopo relictum erit ab extraneo testatore: intuitu ecclesiæ non personæ relictum præsumitor. de illo, ni testator episcopi tantùm, non ecclesiæ esse velle expresserit, cathedralis ecclesia rectè canonicam portionem petito. Si ecclesiæ relictum erit: æquè episcopo ^{15. Requisisti.}

De test. & vlt. volunt.

suæ portionis petitio esto. & si testator ecclesiæ
tatum hoc esse voluerit: generali iuri huic nihil
derogator. Si verò relictum quid erit episcopo
à propinquo: ni contra probabitur, non eccle-
siæ sed personæ intuitu relictum intellegitor. de
hoc in episcopi vita ecclesia nihil petito. Quod
si episcopo & ecclesiæ relictum erit: hoc inter
eos canonicè herciscitor. Si verò hoc episcopo,
& istuc ecclesiæ relictum erit: siue æqualia, siue
inæqualia relictæ siēt, ni ambo testatoris dispo-
sitione contenti esse volent (dum neque fraus
dolusque interueniat, nec quisquam nimium
debita portione fraudetur) ad canonicam diui-
sionem inter episcopum & ecclesiam cathedra-
lem res reducitor. At si quæ episcopo, & alia ca-
pellis, monasteriis, aliisve piis locis legata erunt:
quod episcopo legatum fiet hoc eius præcipuū
cum ecclesia cathedrali esto. de iis autem quæ
aliis legata erunt portionem canonicam nihilo-
minus obtineto. Generaliter qui proprium ha-
bere potest, nec prælationem administratio-
nemve ecclesiæ habet, si quid ei specialiter à
propinquo extraneove relinquetur, ni probatio
in contrarium adparebit, hoc non ecclesiæ sed
personæ intuitu relictum accipitor. de illo nec
episcopus nec ecclesia in eius vita sibi quicquā
vendicanto. Fraus tamen abesto. Si detecta erit
nulli patrocinator.

*1. Quorū-
dam.*

Porro episcopus nisi quod ante episcopatus
ordinem proprium habuerit testamento ne re-
linquito. quicquid aliàs habuerit, à quacunque
persona detinebitur, auocator. At quod ante ip-

sius episcopi consecrationem ecclesie fuerit, quodve in episcopatus ordine adquisierit, in eiusdem ecclesie dominio conseruator.

Sed & quæ abbatissa regundi monasterii sui suscepit officium, res eius eidem & monasterio ex quo illuc ingressa & abbatissa constituta fiet (licet vsque in diem obitus sui monachalem habitum episcopi forsan colpa, qui sic eam esse permiserit, non induerit) competunt. *2. Quia ingredien- tibus.*

Item quæ bona clerici ecclesiarum beneficio quesierint, siue intestati decessint, siue aliis hæc conferre voluerint, eadem penes ecclesiam remanent. *7. Cum in officiis.*

Sanè clerici de mobilibus quæ per ecclesiam indepti erunt ne testantor, viuentes tamen & sui compotes in egritudine constituti de iis aliqua moderatè eleemosynè intuitu, nõ ratione testamenti rectè erogant. *8. Ad hæc.*

Aliàs generaliter tam mobilia quàm immobilia bona clericis per ecclesiam quesita eidem post adquirentis obitum remanent. Ecclesie nomine non episcopus morientisve clerici successor vbi conlegium clericorum erit, sed communis congregatio intellegitor. hæc rerum illarũ canonicam distributionem & curam habet. Vbi tamen in locum defuncti vnus tantum ordinandus erit, is eadem sicut alia ipsius ecclesie bona in dei timore dispesato. De mobilibus autem (vt prædictum est) pauperibus & religiosis locis, illisque qui viuenti seruerint, siue consanguinei, siue alii erunt, aliqua iuxta seruitii meritum conferre licet. Cæterum quæ ex hæredi-

11. Relatum. ij.

tate, artificio, doctrinave prouenient pro decedentis arbitrio distribuuntur. Eorum autem qui in diuersis ecclesiis beneficia possidebunt quæ habuerint æstimatione congrua inter ipsos heriscuntur.

9. Quia nos.

Clérici ergo de his quæ consideratione ecclesiæ percepserint testamentum ne faciunt. de his verò quæ paternæ successione cognationisve intuitu, aut de artificio adepti erunt, seu dono consanguineorum amicorumve ad ipsos non habito ad ecclesiam respectu peruenerint, id est de familia pecuniave sua liberè disponunt.

16. Rationem.

In quaquidem paterna successione hoc seruatur. Pater inter liberos, quibus certas portiones bonorum suorum reliquerit, si quem eorum, si sine liberis decedat, alteri succedere constituerit: cum conditio extiterit, superstiti ex causa fideicommissi substitutionisve petitio esto. Idem tamen testator si matrem & vxorem reliquerit, quibus ex loci cõsuetudine seu iure certa bonorum eius portio debeatur: sic restitutionis ratio initor. Quæ partes matri & vxori debebuntur, sic, vt legitima portio iure naturæ definita filio debita in vtraque salua fiet, deducuntur. quarta per Trebellianum ex ei⁹ persona retinetur. Qui tamen fructus de bonis ipsius à tempore litis cõtestatæ percepti erunt in ea computantur. Si ad eam sufficient: eo nomine nulla alia deductio esto. alioquin iuxta quantitatem perceptorum fructuum computationis ratio habetur. legitima verò personæ grauata sine onere esto. eius partibus quæ olli ab intestato debita fiet de rebus iis

de quibus ex loci consuetudine fieri debet legitima deducitor, retinetor. residuū fidei commissariæ personæ restitutor.

Filius itaque à patre hæreditatem cuiquam restituere absque liberis moriens si iussus erit: in paternis bonis tertiam partem iure naturæ debitam habeto. hæc sine grauamine esto. Quartā etiam Trebellianicam sicuti quilibet extraneus deducito. has portiones testamento relinquenti potestatem habeto. Si quid de bonis suis disposuerit, si hæredes instituerit, si quæ legasset, si quam pœnam adiecerit: hoc vsq; ad eas, licet easdem in legando non expresserit, ratum esto. Pœna tamē si pluribus hæredibus imposita erit: eos tantum qui contra defuncti voluntatem commiserint teneto. Beneficio autem legis Falcidię in legato prestando, propter quod pœna imposita fiet, si intra legitimum tempus testatoris voluntati paruerit, & inuentarium faxit, hæres vtitor. hæc etiam contra testatoris voluntatem inducitor.

18. Raineraldus.

De successione ab intestato. Tit. 27.

Episcopi, Presbyteri, & clerici, vt supra dictū est, si quid per hæreditatem, alióve modo, intuitu personæ quæsierint: hoc ollis cui volent dum viuunt donare liceto. Sin ante obierint quàm hoc faxint: altari cui seruient omnia perpetuò sanctificantor, in ius eius transeunto.

1. Sed hoc.

Itaque clerici, qui parochialis ecclesiæ administrationē gesserit, intestatò defuncti bona quę eius fuerint cum moreretur, ipsius ecclesiæ no-

3. Cura dicitur lectus.